# HIPPOCRATIS
# APHORISMI,

Ordine quam antea meliore compositi, & latini facti.

PER
*Oliuerum Popardum medicum.*

AD.
Nobilem Ianum Petræum, Consiliarium vrbis Rochellanæ, illiusq; Diocœseos regium suppræfectum.

Collineau
1580

ROCHELLÆ.
*Ex officina Petri haultini.*

1580



# NOBILI IANO
Petræo, consiliario urbis Rochellanæ, illiusq́ diocœseos suppræfecto meritissimo Oliuerus Popardus Recte valere.

Non dubito fore non paucos, præstantissime Iane, qui meum hoc institutum derisum veniant, tum quod Opusculum mille jam modis versatum, & tritū (vt ajunt) voluerim denuo ad incudem reuocare: tum quod enchiridion medicinale homini cōsultissimo juris, eiq́ dicundo cūprimis occupato dicare decreuerim. Sunt enim quidem adeo morosi, vt his eadem quamlibet pulchra & vtilia non sustineant lectitasse, etsi δὶς ϰ̀ τεὶς τὰ ϰαλὰ (vt est in prouerbio.) &

Quæ placuit semel decies repetita placebit.

Atque illi mihi quidem videtur delicatulos epulones istos imitari, quibus nauseam moueat etiā turdus si iterum apponatur. Hos ego jubeam in perpetuum pane vinoq́ abstinere vsu frequentissimis. Illos vnico libello contentos vel il-

*tũ ipsum simul ac semel oculis subsultim lustrarint, abijcere, nisi δὶς κ. ἀμβὴν malint. Verum (ne longior sim) hoc illos breuiter admonitos velim, me, ět sì aphorismos Hippocratis, libellum tamen nouum in lucem edere, cujus materiei formam induxerim, ordine putà meliore & memoratu faciliore excogitato, & dictione quam in cæteris luculentiore, quæ verbis authoris parum (nisi cum maxime fuerit opus) inhærens (quod sane in nostra paraphrasi pertinacissime retinuim⁹) mentem ejus optima cum fide exponat. Hoc vero quantulum cur tibi dicandum censuerim, amplissime iudex Petræ, duæ potissimum sunt causæ. Prior summa tua illa humanitas & liberalitas, qua bonarum artium studiosos omnes prosequeris, in quorum nos albo jam antea inscribendos judicasti, eoq; jam pridem tibi aliquã ingenij fœturã parturiebam, quæ posteris harum tuarum virtutum, tuiq; erga me tam officiosi animi prostaret testamentum. Hæc prior satis vehemens causa ad id me impellendum fuit. Ecce autem altera quæ istos præclaros censores non parum (si quid illis sensus*

*supe*

superest) præstringat: Artis scilicet iuris cum medicinæ arte cognatio, & affinitas, quodq́; qui vnam prorsus ignorauerit alteram æq; vt decet non norit. Quo merito fit vt vtramq́; tam belle calleas quã studiose excolis. Nam & scientia iuris longe tuis æqualibus præcellis, hujus testes fuerint eruditissimæ illæ in edict. de arbitr. nunquam morituræ lucubrationes, & quotidiana reddendo juri occupatio. Et medicinam, quod etiam illi qui cotidie illam exercent fatentur, felicissime perdidicisti, adeo sane vt si disputando sanitas ægris vel cõseruaretur, vel restitueretur, vnus inter omnes nostræ Galliæ medicos Æsculapius alter videreris extare. Sed quis ciuiũ sociale concordiã interim aleret, atq; foueret, ni sedulo legibus moderareris? Iam cum multa alia conjunctionem monstrant harum artium, tum hoc potissimum, quod nemo Ædilium edicta, nemo hæreditatis petendæ jura, nemo vẽtrem inspiciendum, nemo deniq; legitimos partus sine medicinæ cognitione intellexerit. Et quis virginem in mammis lac habere posse in animum induxerit suum? quin potius, nullo apparente fœtu, parricidam capite damnandam judicarit? ni-

*ſi prius mulieres defectas menſtruis in mammis lac colligere abs ſalutari medicina didicerit? Quis tandem inter medicos tam freqnens illud[Temperatum ad juſtitiam,Temperatum ad pondus]deprẽ derit ſine juris & juſticiæ ſcientia? Sed iſta plus ſatis apud te explorata ſunt, ac nouimus ingẽs erga literas ſtudiũ tuum, cujus gloria maxima eſt omnes omnis generis exæquo coluiſſe, ab omnibus autem fructum percępiſſe incredibilis opus felicitatis. Accipe igitur, ſupræfecte digniſſime munuſculum nec vetuſtate carioſum, nec nouitate injucuudum, nec iſti tuo muſarum choragio aduerſarium, nec alienum, adq; ipſum pro jure tuo à vitilitigatorum contumeliis aſſere. Vale, Rochellæ. cal. ian. anno ſalutis* 1980.

APhorismorum Hippocratis jam pridem fueram editurus paraphrasin, amicissime lector, in qua nudā authoris dictionem latinam factam, & ejusdem sententiam, ex mente Galeni breuiter, simul & dilucide expressam, vel vno contextu ambas, vel seorsum vtramq; cernere potuisses: nisi me cujusdam Parisiensis chalcographi fides fefellisset. Nam is meas schedas totum biennium retinuit, & post longas tandem expostulationes, ingratis licet, reddidit. In illa paraphrasi verbū verbo reddidi, in hoc vero cōmētariolo solam sententiam fide optima expono. Ac, ne quis furtum factum dixerit, Cornelii Celsi interpretationem, si quādo integra occurit auide retinui, vbi vero siue memoria lapsum hominem, siue data opera ab Hippocrate recedere cognoui, ibi libenter meo fretus sum judicio. Neq; vero adeo superstitiosus fui in phrasi Celsana, vel etiam dictione retinenda, quin & Ciceronem, & Varonem, Pliniumq; admitendos, aut saltem aliquanti faciendos crediderim: nec non propterea latina

*fore putaui si quæ lingua Celsi non loquerentur. Ordinem porro quam cõmodissimum mihi videor persecutus, & qui memoriam multo maxime iuuare possit, & eam ( si quando parum fideliter continuerit ) quasi in rem ipsam inducere possit. Hunc, vel potius similem laborem, ante aliquod annos Butinus meditatus fuerat, cæterum quam bene absoluerit collatis vtriusq; oppellis poteris æstimare. Ex hoc autem nostro opusculo si quid commodi, aut vtilitatis studijs tuis allatum videbitur, Nobili Iano Petræo suppræfecto nostro, longe æquissimo acceptum feras, illi quæ gratias semper habeto. Vale*



HIPPOCRATIS

# APHORISMI,

*MELIORE quam antea ordine compositi, & latini facti per Oliuerum Popardum, medicum.*



VITA Breuis, Ars prolixa, Pernix ocasio, Experimẽtũ periculosum & falax, judicium difficile. Nec vero medicum solum opportet ita compararese vt õnia quæ erunt opus faciat, Sed & ægrotum, & assessores, & Externa. 1. 1.

*Obseruationes quædam perpetuo vtiles.*

Quibus quis assueuit ea fert facilius, vel si deteriora sint, insuetis. Ideoque ad res nouas præparari hominẽ decet. 50.2.

Subito multũ ceu vacuare ceu replere, Item repente multum calefacere, aut refrigerare, vel quomodocũq; cor pus

pius concitare nocet. Nam omne nimium naturæ contrarium est. Sed tutius fit quod paulatin fit, maxime si quid noui sit aggrediendum. 51. 2.

Assuetus vel puer imbecillis, vel senex, labores facilius sustinebit, quā qui non assueuerit iuuenis, aut robustus. 49. 2.

Vt cūq; corpus moueas siquid laboris occipiat quiete relaxatur. 48. 2.

Sponte facta lassitudo futuræ inualetudinis augurium est. 5. 2.

Si plenior aliquis, & speciosior, & coloratior factus est, suspecta habere sua bona debet, quia neq; in eodem habitu subsistere, neq; vltra progredi possunt, fere retro quasi ruina quadam reuoluuntur. Quare necesse est ejusmodi habitus plane athleticos cōfestin relaxare, vt renutriri incipiat. Neq; vero idipsum exacte sine periculo fit. Sed æstimādæ hominis facultates, adque ratione harum tum refectio, tum depletio accommodari debet. 3. 1.

Naturam valde pingues minus sunt longæui quàm qui graciliores. 44. 2.

Si qua pars corporis subito magis incaluit, aut refrigerata est, in ea morbus hæret. 39. 4.

In qua parte corporis sudor ibi morbus est. 38. 4.

Quibus causa doloris neq; sensus eius est iis mens ægrotat, labatq;. 6. 2.

Minus formidabilis ægrotatio est quæ cum natura ægrotantis, & consuetudine congruit, & est tẽpestati præsenti, & regioni in qua versatur assimilis, quam quæ nulli istorum cognata. 34. 2.

In quouis morbo præstat ea quæ sũt circa vmbilicũ ventremq; inferiorem crassa, & bene habita esse, quam nimium emacruisse. Hoc enim aluo deiiciendæ parum vtibile. 39. 2.

Mutationes per totum corpus, veluti incalescere ac vicissim refrigerari, calorem alium subinde ex alio fieri, lõgitudinem morbi designant. 4. 4.

Ad vitam non redeunt qui spirantes adhuc à suspendio, aut quauis suffocationis specie, spumante ore, detracti sunt. 43. 2.

Cunct

Cuncta, cum ratione facienti si quid non statim profuit, ad aliud continuo eundum non est. Nisi quod prius apparuit mutatum videatur. 52. 2.

Optimum est in extremos morbos extremis prorsus remediis vti. 6. 1.

*Vsus externorum.*

Calor, si nimius est nocet. Corpus reddit effœminatum, infirmos neruos, stupidam mentem, sanguinis cursum mouet, & deliquia. Adhæc etiam quibusdam mortem intentat. 16. 5.

Calor, quod suppurare possit & concoquere, concitat securitatis expectationem quibusdam vlceribus. Mollit cutim & tenuat, dolores mulcet, rigores neruorum, tensiones sublevat, grauitatem capitis alleuat, in eoq; fractis ac nudatis ossibus, & si quæ sunt vlcera non parum commodat. Maximeq; iis quæ frigore vel enecantur vel vlcerantur salutare, veluti etiam herpeti exedenti, sedi, pudendo, vulue, vesicæ. Quibus omnibus calor iudex amicus est, inimicus & hostis capitalis frigus. 22. 5.

Frigido

Frigido in his vtendum ſolū: Vnde ſanguis fluxurus eſt, nequaquam ſuper ipſas ſauciatas partes, verum eaſdem verſus admoto. Imponendum porro phlegmone occipienti, & deflagrationi, cum paulum modo rubeſcit, ſanguiſq; primulū ac paulatim effloreſcit. Nam veterē denigrat: vtq; & Eryſipelas integrum adiuuat ſic idipſum lędit vlceratum. 23. 5.

Tumores non paucos & dolores in articulis, vbi nullus ſit vlcus, vel podagricos ipſos, item neruorum tentiones & alleuat, & minuit frigidæ larga profuſio, eademq; dolore liberat. Nam torpor moderatus dolorum ſolatium & fomentum eſt. 25. 5.

Frigus vlcerata mordet, cutim indurat, in doloribus ſuppurationem prohibet, nigrorem inducit, rigorem qualis in febre, qualiſq; in neruis, & tetionem. 20. 5.

Frigidū inimicum oſſibus, dentibus, neruis, cerebro, dorſali medullæ. Calidum autem amicum. 18. 5.

Eſt quando in rigore ſine vlcere. &c. In Spaſ. De

*De generibus tempestatum, & quatuor temporibus anni.*

Temporum & tempestatum mutationes morbos maximos pariunt, præsertim si magnæ fuerint tum in frigus, tum in calorem. Atq; alia itidem pro suo quæq; modo. 1. 3.

Omni tempore, omni genere tempestatum, ætatis cujuslibet, & habitus hominum per omnia morborum genera & ægrotant, & moriũtur. Sed quibusdam frequentius quædam nocent. 19. 3.

In statis temporibus si tempestiue fiant omnia, constantes erunt morbi, & judicio states. Incertis vero variisq;, incõstantes prorsus, plani, & fallaces. 8. 3.

Quouis tempore si eadem die modo frigus fiat, mox calor, quales sunt autumno morbos expectato. 4. 3.

Vere insania, melãcholia, comitialis, sanguinis cursus, Angina, Coryza, raucedo, tussis, lepra, impetigo, vitiligo, pustulæ plurimæ vlcerosæ, tubercula, dolores in articulis repullulant. 2. 3.

Æstas quidem non vacat plerisq; ab his morbis, sed adiicit febres vel cõtinuas, vel ardentes, vel tertianas, vel quartanas, ardentes, vel tertianas, vel quartanas, vomitus, alui dejectiones, articulorum dolores, Vlcera oris, putredines in cæteris quidẽ partibus, sed maxime obscœnis, & quidquid sudore hominem resoluit. 21. 3.

Vix quidquam ex his in autumnum non incidit. Sed oriuntur eo quoq; tẽpore febres incertæ, & quartanæ, lienis dolor, aqua inter cutem, tabes, vrinæ difficultas, ileos, læuitas intestinorum, tormina, coxæ dolores, anhelitus difficilis, anginæ, comitiales, insaniæ, furores. 22. 3.

Autũnus tabidis importunus. 20. 3.

Autumnus acutissimos morbos & valde pestiferos producit. Ver autem saluberrimũ, minimeque funestũ. 9. 3.

Hyems autem capitis dolores, tussim & quidquid ĩ faucibus, in lateribus, in visceribus mali contrahitur irritat, lumborum dolores, vertigines, & apoplexias. 23. 3.

Vbi vero calor à primo Vere orsus æstatem quoq; similē exhibet, necesse est multum sudorem in febribus subsequi. 6. 3.

At si sicca æstas Aquilones habuit, Autumno vero imbres Austriq; sunt, tota hyeme quæ proxima est tussis, destillatio, raucitas: In quibusdam etiam tabes oriuntur. 13. 3.

Sin autem autumnus æque siccus iisdem Aquilonibus perflatur, omnibus quidem mollioribus corporibus, inter quæ muliebria esse proposui, secunda valetudo contingit. Durioribus vero instare possunt aridæ lippitudines, & febres partim acutæ, patim longæ, & hi morbi qui atra bile nascuntur. 14. 3.

Si hyems sicca septentrionales ventos habuit, Ver autem Austros, & pluuias exibet, fere subeunt febres acutæ, lippitudines, maximeq; in moliorib⁹ corporibus, ideoq, præcipue in mulieribus. 11. 3.

Si vero Austri pluuiæque hyemem facilem occuparunt, Ver autem frigidum & siccum est, grauidæ quidem fœminæ quibus tum adest partus abortu

peri

periclitantur, hæ vero quæ gignunt, imbecilles vixque vitales edunt. Cæteris lippitudines aridæ, tormina, & (si seniores sunt) catarrhi qui subito funere tollere mortales possunt. 12.3.

### *Venti.*

Auster aures hebetat, sensus tardat, capitis dolores mouet, & vertigines, totum corpus (nedum solos oculos) efficit hebes, humidum, languidum. 5. & 17. altera pars. 3.

Aquilo mordet oculos, tusses mouet, fauces exasperat, ventrem astringit, vrinam supprimit, horrores excitat, Item dolores lateris & pectoris etiam præteritos renouat: Atq; ea quidem vterq; ventus mala imbecillis, morboq; opportunis inuehit: Sed idem Boreas corpus sanum spissat, & mobilius atq; expeditius, coloratius, meliusq; auritum reddit, ventrem astringit. 17 & 5. altera pars. 3.

Per assiduos imbres sæpius febres, deiectiones alui, angina, Comitialis, resolutio neruorum, apoplexia, putre-

dines. Per ſiccitates vero lippitudines aridæ, articulorum morbi, vrinæ difficultates. 16. 3.

Si continuarit ſiccitas, febres erunt acutæ: breuiterq́; qualis annus, tales quam plurimum expectantur morbi: 7. 3.

Summa ſit. Inter conſtitutiones anni ſalubriores ſunt ſereni dies quam pluuij, & minus mortiferi. 12. 3.

*Ætates.*

Longa ſtatura vt in iuuenta decora eſt, ſic matura ſenectute conficitur. 52. 4.

Quod ad tempeſtates [ ætateſq́; ] pertinet, pueri, proximiq́; his vere optime valent, & æſtate prima tutiſſimi ſunt. Senes æſtate, & autumni prima parte. Poſteriore vero, & hyeme iuuenes quique inter iuuentam ſenectutemq́; ſunt. 18. 3.

In ætatibus antem infantes teneroſq́; adhuc pueros ſerpétia vlcera oris, tuſſes, vomitus, nocturnæ vigiliæ, pauor, circa vmbilicum inflammationes exer

cent, & aurium humor. 24. 3.

Propriæ dentientium gingiuatu m pruritus, ac vlcerationes (græc. ὀδαξίσμοι distentiones neruorum, alui deiectiones, maximeque caninis dentibus orientibus male habent. Quæ pericula pleniſſimi cuiuſq; ſunt, & cui venter maxime aſtrictus eſt. 25. 3.

At vbi ætas paulum proceſſit glandulæ, & vertebrarum quæ in ſpina ſunt aliquæ inclinationes, ſpiritus difficultas verrucarum quædam genera pendula, ſatyriaſmi, cumque plura alia tum illa maxime oriuntur. Item vrinæ difficultates. 26. 3.

Incipiente vero jam pube ex iiſdem multa, & longæ febres, ſanguiniſq; ex naribus curſus 27. 3.

Maximeq; omnis pueritia primum circa quadrageſimum diem, deinde ſeptimo menſe, tum ſeptimo anno, poſtea circa pubertatem periclitatur: Si qua etiam morborum genera in infantem incidere, ac neq; pubertate, neq; primis coitibus, ne q; in fœmina primis menſtruis finita ſunt, longa ſunt. 28. Aliter in criſib.

Adolescentia febribus acutis, item comitialibus, tabiq; maxime objecta est,fereq; iuuenes sunt qui sanguinem expuunt. 29. 3.

Ætates quæ inter decimum&trigesimum quintum annum intercedunt tabi, præter cæteras, opportunæ sunt. 9. 5.

Post hanc ætatem lethargus, insania,febres ardentes vigent,spiritus difficultas, lateris & pulmonis labores, [cholera,] jugis& perennis alui dejectio, tormina, læuitas intestinorum, sanguinis ex venarum osculis profusio. 30. 3.

In senectute jam postrema spiritus &vrinæ difficultas, nec sine tussi grauedo, neruorum resolutio,ceu apoplexia, vertigo, nocturnæ vigiliæ, vitia longiora oculorum, etiam narium, articulorum, & renum dolores, stillicidia,præcipueq; soluta aluus,quæ secuntur hanc tormina, vel læuitas intestinorũ,malus corporis habitus,cæteraq; fusi ventris mala. 31. 3.

Senes minus ægrotant quam juuenes, at morbis longis citius cedunt,&

opprimuntur. 39. 2.

*Diæta.*

Vel ſatiari, vel eſurire, vel quiduis aliud nimium facere, vitioſum. 4. 4.

Si plenior aliquis &c. In obſeruat. Mediæ ætatis ſenes facillime ſuſtinent inediam, minus iuuenes, minime pueri, præſertim viuidiores. [Item ſenectute confecti.] 13. 1.

Creſcentia plurimum habent calidum innatum, ideo plurimi egent alimenti, alias conſumeretur illorum corpus: Senibus autem exiguum, paucisq́; proprerea ſuccendiculis opus habent, nam a multis ſuffocarentur, hinc fit vt febribus acutis minus obnoxij ſint. Nam frigidum eſt illis corpuſculum. 14. 1.

Ventres hyeme ac vere calidiſſimi ſunt natura, & ſomni longiſſimi. In his ergo temporibus cibus amplior dari debet: Nam calidum natiuum habetur tunc copioſius, pluri proinde opus eſt alimento, teſtes integræ ætatis homines facio. 15. 1.

Æstate & Autumno Cibos difficilius ferunt quam vere. Sed per hyemem facillime. 8. 1.

Corporum non pura quidem læseris tanto, quanto nutrieris magis. 10. 2.

Anteferendus cibus vel potus paulo deterior, si jucundior est, meliori, qui tamen minus oblectet. 38. 2.

Facilius est liquoribus expleri, quam cibis. 11. 2.

Famem soluit meraca potio. 21. 2.

Confertim & celeriter peruadunt quæ confertim & celeriter nutriunt. 18. 2.

Siquibus de causis futura inedia est labor omnis vitandus est. 16. 2.

Cibus febricitantibus aptissimus est humidus, vt & puellulis omnibus, item qui ita nutriri consueuere. 16. 1.

Nihil dandum nec imperitandum ante accessionem, Sed detrahendus cibus iis qui per circuitus affliguntur. 19. 1.

In accessionibus detrahere cibum decet:

decet Nocet enim obtulisse. Quod si per circuitum vertantur accessiones, in ipsis etiam abstinendum. 11. 1.

Quibus instat vigor, alendi tenuiter. At quibus paulo post adfuturus est, tum in illo, tum ante ipsum paulum subtrahendum: Sed antea opimius alendum, vt æger sustentet. 10. 1.

Quamdiu viguerit morbus necessario vtendum victu tenuissimo 8. 1.

Habet autem morbus peracutus illico summos labores, eóq; summe tenui vtendum victu. Sed non ita in paulo remissiore morbo, qui largius alimentum non respuit, ad id tamen non festinandum, sed descendendum pedetentim, & æstimandum ecquid multum hic morbus ab extremis illis distet, vel a summo vigore. Nam tanto plus alere debebis, quanto ab summis illis absuerit longius. 7. 1.

Ad ægrum etiam attendendum, num sustentaturus sit cum ejusmodi victu adusq; vigorem morbi, an vero cessurus videatur diætæ, priusquam morbus remittat sese, & hebescat. 9. 1.

Item

Item quibus semel, aut bis, plusue aut minus, & particulatim offeras videndum est. Dandum autem aliquid consuetudini, regioni, & ætati. 17. 1.

Tenues istæ examussim dietæ in longis affectibus semper periculosæ, & in acutis vbi non requiruntur. Et rursus ad extremum tenuitatis adacta vita difficilis. Difficiles etiam & lubricæ ad extremum actæ repletiones. 4. 1.

In tenuibus diætis peccant laborantes, Ideo læduntur magis: Omnis enim error maior fit illic, quam paulo pleniore victu. Eam que ob causam valentes inter strictas illas, & acuratissimas, & ad amussim comparatas viuendi leges periclitantur, quoniam peccata luunt difficilius. Itaq; tenues, exactæq; diætæ largioribus, vt plurimum, periculosiores. 5. 1.

Vbi alimentum largius quam pro natura fuerit intrusum morbum creat. Arguit sanatio. 17. 2.

Si quis post ægritudinem comedit egregie, nec proficit hilum, Vitiosum est. 31. 2.

Sæpenum

Sæpenumero omnes qui male ſe habent adhuc, & initio quidem cibos appetunt, iis tamen parum reficiuntur, tãdem faſtidiunt. Sed qui parum initio comedunt, poſterius & appetentiores fiunt, & facilius abſoluuntur. 32. 2.

Cum quis poſt morbum & cibum capit, & non fit validior, largiore quam par ſit vtitur cibo: At cum idem faſtidioſus eſt, & veſcus, illi vel purgatione, vel vacuatione eſt opus. 8. 2.

Extenuata per longum tempus corpora, ſenſim renutrienda ſunt. Ac celeriter reficienda quæ celeriter fuerunt emaciata. 7. 2.

In inedia habendi ſunt humidis carnibus homines: Nam fames corpora ſiccat. 59. 7.

*Vinum. & Aqua, Lac.*

Anxietatem & oſcitationem vinum par pari potum ſanat. 56. 7.

Lege commentarios in aph. 7. 8. 9. diæt

Ea leuiſſima eſt aqua quæ celeriter caleſcit, & celeriter refrigeratur. 26. 5

Lac

Lac cephalalgicis dari non debet, Nec febrientibus, nec quibus elata præcordia murmurant,] nec ſiticuloſis, nec quibus, cum febriunt, deiectiones ſunt bilioſæ, nec qui multum ſanguinem profudere. Datur autem vtiliter tabidis, exigue febricitantibus, & in longis febribus, ſi qui langueſcunt, & abſq; vllo eorum quæ diximus vitiorum extenuantur. 64. 5.

*Indicia & ſigna è ſputu.*

Ipſi morbi &c. In criſib.

Excreare liuida inter febres non quieſcentes malum, niſi percommode id fiat. Ita & quæ deſcendunt, & vrinæ. Nam ſi quæ deijciuntur non leuant, mala ſunt. 47. 4.

*De ſudoribus.*

Poſt ſomnum ſudor copioſus, ſine aliqua occaſione, ſignificat hominem pluri quam ſit opus abuti nutrimento. At ſobrio ſi contigerit vacuationem oprat. 41. 4.

Frigidus ſudor ſemper fluens maiorem

rem, calidus minorem morbum ſignificat. 42. 4.

Malus eſt ſudor non quieſcentis febris: Nam ſignificat prorogari morbum, & præ ſe fert multam humiditatem. 56. 4.

Sudor frigidus, in acutis febribus mortis ſignum, in mitioribus autem longi morbi nota eſt. 37. 4.

Poſt ſudorem inhorreſcere malum. 4. 7.

Sudor feliciter incipit febricitanti tertio die, & quinto, ſeptimo, nono, vndecimo, decimoquarto, decimo ſeptimo, vigeſimo primo, vigeſimo ſeptimo, trigeſimo primo, trigeſimo quarto: Nam eiuſmodi ſudor morbos iudicio abſoluit. Sed qui non iis fluit diebus, laborem ſignificat, prolixitatem morbi, & reditionem. 36. 4.

Sine ſudore obeunt quibus cutis arida, & dura extenditur: Cum ſudore vero quibus eadem laxa raraq; eſt. 71. 4.

## *De Vrinis.*

Iuuat in febribus vrinam quæ prius

craſſa

crassa, grumosa, & exigua fuerat, copiosiorem, & paulo tenuiorem facere, qualis potissimum fieri solet et ubi a principio statim, aut non ita multo post, sedimentum habuerit. 69. 4.

Inter febres vrinæ quales veterinis turbidæ, capitis dolores vel instare denotant, vel imminere. 70. 4.

Vrina multa, albaq; & crassa, qualis inter febres laboriosas quarto die effluere consueuit, metum futuri in articulis abscessus tollit: Sed longe proximam esse liberationem sanguinis per nares cursus ostendit. 74. 4.

Qui die septimi iudicandi sunt, his quarta nubeculam in vrinis habet rubram, aut quidpiam boni signi tunc ostenditur. 71. 4.

Lotium dilutum, atq; album vitiosum est, sed in phrenitide maxime. 72. 4.

Si sanguis aut pus in vrina est, vel vesica, vel renes vlcerati sunt. 75. 4.

Si crassum lotium caruncula, vel pilos habet, in renibus vitium est. 76. 4.

Et vesica scabiosa est, quando quasi

furfures cum vrina crassa exeunt. 77. 4

Si sponte sanguis per vrinã reiicitur, in renibus venula rupta est. 78. 4.

Quasi arenæ residentes in vrinis, argumenta calculorum sunt. 79. 4.

Si paulatim vrina destillat, vel si sanguis per hanc editur, & in eo quædam cruenta concreta sunt, idq; ipsum cum difficultate redditur, & circa pubem inferiores partes dolent, in vesicæ vicinia vitium est. 80. 4.

Si sanguis & pus, & squamulæ in vrina sunt, & male olet, vesicæ vlcus est. 81. 4.

Qui per noctem plurimum meiunt, parum quoq; fidem deijciunt. 83. 4.

In febricitantium vrinis instar farinæ, aut polentæ, sedimenta, præsagiunt longam valetudinem. 31. 7.

Quæ prius diluta & aquosa fuerant sedimenta, nunc demum biliosa, acutum morbum denotant. 32. 7.

Vrinæ vermiculatæ ingentem in corporibus turbationem docent. 33. 7.

Si bullat vrina renum affectio est, & longus morbus. 34. 7.

Pinguis

Pinguis&conferta superficies vrinæ, Renes affici, & morbum accutum esse innuit. 35. 7.

Quod si quibus renum dolorem patientibus prædicta concurrunt signa, insuperq́; dolores vexent circum externos dorsi musculos, extrinsecus apostema futurum: Si vero interiores dolitent musculi, ibi etiam apostema expectandum. 36. 7.

## *De strigmentis Alui.*

In iis quæ per deiectiones excernuntur ea maxime prosunt quæ variant, nisi in deterius fiat varietas. 14. 2.

Si in faucibus malum est, vel in corpore tubercula intumescunt, strigmenta ruspari oportet: Si enim biliosa fuerint, totum corpus ægrotat: Sin iis quæ per sanitatem egeruntur similia sunt, licebit hominem, satis purum, sine noxa alere. 15. 2.

Nouellis fusior quam astrictior aluus jucundiorem vitam facit. Astringitur enim ætate, ex quo deinceps fit senectus tristior. 20. 33. 2.

Si aluus nigra est, instar sanguinis illius atri, & vltro descendit, pessimum est, ceu cum febre ceu absq; hac: Ac tanto quidem peius, quanto plures praui colores, nisi pharmaco, educti fuerint. Tunc enim talia, & multicolora, melius & felicius extruduntur. 21. 4.

Cui protinus in recenti morbo bilis atra vel infra, vel supra se ostendit, interitus periculum est. 22. 4.

Cui vel sanguis ille niger, vel bilis atra modo se prompsit, cum jam longo morbo, aut vulnere corpus eius esset extenuatum, & affectum, die sequenti moriendum. 23. 4.

Qualem voles sanguinem sursum eiicere malo est: Deorsum autem, si niger exeat, non ita malum. 25. 4.

Inter febres si multus sanguis vndecumq; fluxerit, Conualescenti aluus rigua fit. 27. 4.

*Iudicia, Diesq; iudiciales.*

Ipsi morbi, & anni tempus, & circuituum vicissitudo, suas aprodūt accessio

nes

nes, & formas, siue quotidie, siue diebus intercalatis, siue longiore temporis fiant interualo. Item quæ se ostendunt, vt in morbo laterali sputum, si statim in principio appareat, breuem, si posterius, longum designat morbum. Sic de vrinis, & strigmentis, & sudoribus Nam stantes judicio, vel fallaces morbos vt illa apparuerint arguunt. 12.1.

Quando judicium instat. nox grauis ante accessionem. Quæ subsequitur leuior esse solet. 13. 2.

Morborum acuti judicantur in quatuordecim diebus. 23. 2.

Omnium septimorum quartus est index. Octauus initium est alterius septimanæ: Contemplandus etiam vndecimus, cum sit huius septimanæ quartus. Sic etiam decimus septimus, quartus pote a decimo quarto, ab vndecimo vero septimus. 24. 3.

Vt si quid temere forte leuauerit ægrotum nõ admodum confidendum, ita nec multum formidandum, si quod malum finé ratione comparuerit. Sunt enim omnia hæc absurda, & incerta,

ac,

ac parui momenti. 27. 2.

In omni morbo mente constare, recteq; ferculis vti vtile: Contrarium malum. 33. 2.

Plurimi puerorum affectus iudicantur in diebus quadragenis, alii in septenis mensibus, alii in annis septenis, quidam prope pubertatem. Nam qui hactenus permanserint, nec soluti fuerint masculis quidem ante quam excesserint ex ephebis, fœmellis in ipso menstruorum ortu, durare consueuerunt. 28. 3. Aliter in ætatibus.

Inter febres voluntarie lachrymare non absurdum, at sine voluntate absurdius. 52. 2.

*De Purgatione & vacuatione*

Quibus sanum est corpus illi medicatu difficiles. 37. 2.

Qui sunt valenti corpore, si medecinis purgentur, deficiunt. Sic & qui prauis vtuntur alimentis. 36. 2.

Elleborus nocet eis qui carnes habent sanas. 16. 4.

Purgandum æstate quidem sursum,

hyeme vero deorſum. 4. 4.

Circiter dies Canitulæ nec tuta,nec facilis eſt medicina. 5. 4.

Graciles, & qui vomunt facile ſurſum expurgandi, cauendo hyemem. 6. 4.

Vomentes difficulter, & obeſulos deorſum expurgabis,cauẽdo æſtatem. 7. 4.

Ad tabem autem procliues ſuperne ne repurgato. 8. 4.

Atra bile plenos deorſum prolixius inanito, eadem que ratione vteris in contrariis. 9. 4.

Aluum liquidam hyeme ſupra ducere noxium. 12. 4.

Faſtidium, & ſtomachi roſio,os que amarum,&caligantes oculi,hominem, ſi non febricitat, ſuperne purgandum monſtrant. 17. 4.

Dolor ſupra tranſuerſum ſeptum, ſi quis purgationem poſtulat, ſuperne,at ſi quid inferius dolitet,eandem inferne moliendam imperat. 18. 4.

Si vermen diuexet abſq; febre, & in genibus grauitas inſit, & in lumbis dolor, medicina deorſum ducente opus

esse signum. 20. 4.

Mulieri grauidæ medicina dari potest a quarto mense ad septimum. Sed hoc posteriore tempore cautius: nam junior venter religiose quidem, senior religiosius seruari debet. 1. 4. 29. 5.

Menstrua decolora, nec statis diebus currentia, purgationis desiderium præ se ferunt. 36. 5.

Nec judicij tempore, nec eo absoluto mouendum est quidquam, nouandum ve, ceu medicinis, ceu alio incitamento, sed conquiescendum. 20. 1.

Cui aut venæsecium est ex vsu, aut medicina, vere hæc illi adhibēda sunt. 47. 6.

Quando turbatur aluus, vomitusue per se cietur, si purgentur qualia decet, prodest, & fertur facile. Sin minus contrarium accidit. De vacuatione ita prorsus judicandum. Ideoque regionis, temporis, ætatis, & morborum ineunda ratio est, & quid istorum quodq; deceat æstimandum. 2. 1.

Nequaquam deiectiones æstimabis multitudine, at qualitate potius, & profectu: vt si qualia decet reiecta sunt, &

& æger ex eo melius ſe habet. At enim ſi quando vacuandum ſit ad animæ deffectionem vſq;, id quoq; intrepide faciendum, ſi modo ſuſtineri poſſit. 23. 1.

Cum aluum deiiciendam curabis, profuerit talia reiici è corpore, qualia cum ſponte eunt ſolent prodeſſe, & quæ aliter eunt ſiſtere. 2. 4.

Si quis purgare corpus quacumq; parte decreuerit, vt illac perfluat caue bit. 9. 2. Et tunc quidem comprimendus venter, cum a ſuperiore par te, vbi ab inferiore ſoluendus. 70. 7.

Quæ ducere oportet quà potiſſimum nutant educito, per regiones idoneas. 21. 1.

Occipientibus morbis ſi quid mouendum putas moue, nam in vigoribus potius conquieſcendum. 29. 2.

Circa initia & fines cuncta ſunt imbecilliora: at circa vigores validiora. 30. 2.

In morbisvalde acutis vtendnm medicina, ſi quidgeſtiat, ipſiſſimo die: Nam in talibus ceſſare malum eſt. 10. 4.

Oportet mouere, & deiicere concocta,

cocta, non cruda, nec in principiis, ni si gestiant. Sed plurima non gestiunt. 22. 1.

In acutis affectionibus raro, & id quidem in initiis, vtendum medicinis: Sed neq; idipsum sine magno iudicio faciendum. 24. 1.

Si ei qui difficulter sursum purgatur elleborum daturus es, hoc agere debebis, vt eius corpus humidius sit. Id assequeris largius alendo, & quietem imperando. 14. 4.

Si volueris elleborum concitare, moue corpus: Sin autem sedare, somnum inducito. 15. 4.

Post quam quis potauerit elleborum agendum eius corpus est, nec sinedum, neue somno tradendum. Nam vel ipsa nauigatio docet corpora motionibus turbari. 14. 4,

Is qui epoto pharmaco exceptus neruorum distentione est seruari vix potest. 25. 7.

Qui purgationis ergo pharmacum hausit, hactenus purgatur, quatenus sitiuerit. 19. 4.

Repletionis morbos sanat inanitio. Inanitionis

Inanitionis autem repletio. Cōtrariaq; semper contrariorum remedia sunt. 22. 2.

Post iudicium omissa litem redintegrant. 12. 2.

Grauida venæsecio abortat, ac potissimum si quod gestat grandius est. 30. 5.

*De Reuulsione, & Deriuatione.*

Occipite dolente finditur vtiliter recta illa vena in syncipite. 68. 5.

Si fluxum muliebrem sistere cupis, cucurbitam quammaximam sub mammis imprimito. 50. 5.

Mulier vomens sanguinem profusis menstruis liberatur. 32. 7.

Omnis deiectio lippienti prodest. 17. 7.

Nihil plus aduersus surditatem quam biliosa aluus potest, nec fere sane quid quam potentius aduersus biliosam aluum surditate est. 28. 4.

Si in febre aures obtusæ sint, si sanguis è naribus fluxit, aut venter resolutus est, illud malum desinit ex toto. 60. 4

Dolores

Dolores abs dorso in cubitos descendentes soluuntur venæsecio. 22. 6.

Quæ menstruis non purgatur, si sanguinem ex naribus fudit, omni periculo vacat. 33. 5.

*Indicationes.*

Fusa iuuenum aluus ætate astringitur. Astricta soluitur. 20. 2.

Nouellis fusior. &c. In strigim alui. In commentariis horum aphorismorum inuenias omnes fere indicationes. Victus humidus. &c. In diæt.

In magna febre, si corpus hominis constiterit, vt nec pro spacio emacrescat, aut supra modum extabescat, malum Nam hoc vires imbecillas esse, illud morbum longum ostendit. 28. 2.

Et quibus semel aut bis &c. In diæt.

Quæ refrigerata sunt verum est calefacere, nisi sanguinem fundunt, aut mox fusura videntur. 19. 5.

Vbi alimentum &c. In diæt.

Repletionis morbos. &c. In purgat.

*Calor nat. & Præt. nat. Febris.*

Ipsi morbi. &c. In Crisib.

Cres-

Creſcentia. &c. Ventres hyeme. &c. Cibus febricitan. &c. In diæt.

Diſtenſio neruorum febri ſi adiicitur peius eſt, quam diſtentioni febrem. 26. 2.

Diſtenſionem, aut rigorem neruorum ſoluit adiecta febris. 57. 4.

Ex bubonibus mala eſt omnis febris, ſi plus vno die infeſtet. 55. 4.

Febrem quæ ex bile, vel putri materia non orta eſt, ſoluit aqua multa capiti affuſa. 42. 7.

Cum ſtatis diebus rigores febriles repetunt, iiſdem & febres ſoluuntur. 62. 4.

Febris quieſcens, ſi ad eandem prorſus horam reuertatur, qua pridie occuparat, peruicax erit. 30. 4.

De tertiana ex quiſita, ſeptima, cum tardiſſimum, decernitur actione. 59. 4

Quartana æſtiua breuis, Autumnalis fere longa eſt: maximeq́; quæ cepit hyeme appropinquante. 25. 2.

Vbi febris non quieſcit, & exterior pars friget, interior ſic calet vt etiam ſitim faciat, ſignum mortis. 48. 4.

Febres non quieſcentes quæ tertio

quoq; die exaugentur periculosiores. Sed vtcumq; qui euerint tutæ sunt. 53. 4

Tremor febris ardentis delirio terminatur. 26. 6.

Rigor in febre non quiescente pestiferus est. 46. 4.

Febrem ardentem subitus rigor exoluit. 18. 4.

In febre non quiescente spiritus difficilis, cum delirio, mortis notæ sunt. 50. 4.

In febre non dimittente si labium, supercilium, oculus, aut nasus distorqueatur, si non videat, non audiat æger, infirmato iam corpore, Quidquid horum inciderit in propinquo est mors. 49. 4.

Inter febres circa ventrem ardor vehemens, & stomachi rosio mala sunt. 65. 4.

Neruorum distensio, magniq; circum viscera dolores, ominis mali sunt in febribus acutis. 66. 4.

In febribus timere ex somno, aut neruorum distensio mali morbi est. 57. 4

In febribus ardentibus si (vt sæpe fit) aridæ tusses, quæ parum tamen vrgeant per-

perseuerant, non est ægritudo siticulosa. 54. 4.

Qui habent humorem glutinosum dentibus inhærentem, vehementioris febris testimonium. 53. 4.

Vbi quod inter febres longas aliqua parte abscessit, ad sanitatem non peruenit iudiciali die, longus morbus erit. 51. 4.

Quorum faucibus in febre eliditur spiritus, instat iis neruorum distentio. 68. 4.

Rigor fœminas sæpius, sed & nunquam non ipsos viros affligit: incipit a lumbis, ac per dorsum in caput reptat, femora item, & cubitos, postica scilicet parte, quæ est antica frigidior: Testis est cutis rarior, & pilosior. 59. 5.

## *De Capite.*

Varices magni non fiunt homini caluo: At si fiant, hic quoq; cæsariem recuperat. 35. 6.

Castrati non caluescunt. 28. 6.

## *Dolor capitis.*

Lac cephalalgicis. &c. in diæt.
Dolente occipite. &c. de Reuuilſ.
Si caput vehementer doleat, Pus, aut aqua, vel ſanguis per os, nares, au reſue effluens, ſoluit morbum. 10. 6.

*Delirium.*

Tutius delirant qui ridicule, quam qui ſerio, & quaſi cum ratione inſaniunt. 53. 6.
Bonum eſt delirium ſomno terminari. 2. 2.
Malum eſt delirium, aut diſtenſio neruorum, a ſanguinis profluuio. 9. 7.
Ex larga potatione rigor, & delirium malum. 7. 7.
Vbi caput vulneratum eſt delirium malum. 14. 7.
Vbi vigilia torſit, neruorum diſtentio, vel delirium, malum. 18. 7.
Ex pertuſione cranii delirium ſequitur, ſi vulnus in vacuum forn icem deſcenderit. 24. 7.

*Inſania, ceu Phrenitis.*

Lotium album, atq; dilutum. &c. in vrin

vrin.

Post inflammationem pulmonis insania malum. 12. 7.

*Lethargus, Caros, Cataphora, Catoche, Coma, Catalepsis.*

Somnus, quo voles morbo, si laborem infert, pestiferus: si vero auxilium tulerit, nequaquam pestiferus erit. 1. 2.

Malum somnus, Malum insomnia, vtrumq; si modum superauerit. 3. 2.

*Resolutio neruorum, quæ Apoplexia, & paralysis.*

Resolutio neruorum mediocris vix sanatur, vehemens sanari non potest. 42. 2.

Quando sani de repente capitis doloribus corripiuntur, obmutescuntq; protinus, & stertunt, intra septem dies intereunt, nisi febris vindex accesserit. 51. 6.

Si lingua subito labascit aut pars corporis resoluitur, id ab humore melan-

lancholico eſt. 40. 7.

In morbis ab atra bile, ſi humores reſtitent circum veris, & autumni tempora, perniciosũm: hoc enim reſolutionem corporis, aut diſtentionem neruorum minatur, aut cæcitatem. 56. 6.

Reſolutionibus neruorum patent maxime quadragenarii, vſq; ad ſexageſimum ætatis annum. 57. 6.

*Maior morbus vel Comitialis.*

In nouellis comitiales morbi ſoluuntur, ætatis præſertim mutatione, regionisq; & vitæ. 45. 2.

Morbus comitialis ante pubertatem ortus non ægre finitur: Poſt quintum vero & vigeſimum annum cum ægris commoritur. 7. 5.

*Morbi ab atra bile, Melancholia, & Mania, ceu furor.*

Si longa triſtitia, cum longo timore, & vigilia eſt, atræ bilis morbus ſubeſt. 33. 6.

Vtile eſt melancholicis, & nephriticis hæmor-

hæmorrhoidas fluere. 11. 6

Varix ortus, vel per ora venarum subit a profusio sanguinis, insaniam tollunt. 21. 6

Insania, vel hydrops, vel tormina, vel extasis iuuant. 5. 7.

*Conuulsio, Distensio neruorum & Singultus*

Distentio neruorum. &c. in febrib.

In febre non quiescente. &c. ibid.

Quorum faucibus. &c. ibid.

Conuulsio ab ellebori potu lethalis. 1. 5.

Conuulsio a vulnere lethalis. 2. 5.

A copioso sanguinis fluxu singultus, aut conuulsio mala. 4. 5.

Distenduntur, nerui tum repletione nimia, tum inanitione: Ita fit & singultus. 39. 6.

Ex nimia purgatione conuulsio, vel singultus, malum 4. 6. Seni magis. 41. 7.

Si ebrius repente obmutuit, neruorum distentione consumitur: nisi aut febris accessit, aut eo tempore, quo ebrietas solui debet, loqui cepit. 5. 5.

Nisi tetanus intra diem quartum ho-

hominem rapuerit, reuiuiscendi spes est. 6. 5.

E muliebri profluuio distendi neruos aut annimam deficere, periculosum 56. 5.

Malum est delirium. &c. in delir.

Post magnos feruores corporis, neruorum rigor, aut distẽtio, malum. 13. 7.

Per Ileum vomitus, & singultus, & delirium, & neruorum distensio, periclitari hominem dictant. 10. 7.

Post vomitum singultus, & in oculis rubor, perniciosum. 3. 7.

Vbi vigilia torsit. &c. in delirio.

Is qui epoto. &c. in purgatione.

Quartana laborentes vix neruorum distentione tentantur: At si prius fuerint tentati, liberantur febris illius superuentu. 70. 5.

Potest quãdoq; multa frigida profusa calorẽ excitare, in rigore neruorũ, sine vlcere, si sit qui laborat iuuenis, quadratus, tempus, non sine magnis caloribus, æstiuum: Sed calore calor dispergitur. 21. 5.

*De Oculis.*

Omnis deiectio lippienti. &c. in reuulſ.

reuulſ.

Dolores oculorum meracis potionibus, aut balneis, aut fomentis, aut venæſecio, aut medicamento purgante ſoluuntur. 31. 6.

Per ſomnum quando palpebræ non committuntur, ſed inter has ex albo oculorum aliquid apparet, neq; id fluens aluus expreſſit, neq; pharmacum, nec ita dormire conſueuerit ille, ad vltima iam ventum eſſe teſtantur. 52. 6.

*De Auribus.*

Nihil plus aduerſus ſurditatem. &c. in reuulſ.

Si in febre aures obtuſæ. &c. ibid.

*De Naribus.*

Humidior, copioſiorq; genitura eis eſt qui nares humidiores habent, nec tam recte valent quã qui magis emunctæ naris ſunt. 2. 6.

*Sternutamentum.*

Quæ locis laborat, aut difficulter partum

partum edit, sternutamento leuatur. 35. 5. Si ptarmicum &c. in mulieb. Sternutamentum sedat singultus. 13. 6.

## De Ore & Lingua.

Balbis plærumq; est aluus solutior. 32. 6.

## De dentibus.

Frigidum inimicum ossibus, dentibus &c. in vsu extern.

## Catarrhus, Branchus, Coryza, seu grauedo.

Humidior genitura &c. in naribus. Branchi, & Coryzæ, in valde senibus non concoquuntur. 40. 2.

## Tussis.

Quod perinde frigidum est vt nix, & glacies, pectori nocet: Tusses mouet, sanguinem fundit, destillationes diffundit. 24. 5.



In hydrope tussis spem tollit. 55. 6. 47. 7.

*Asthma, siue anhelitus difficilis.*

Qui ex asthmate sunt giberi, aut propter tussim, idq; ante quam excesserint ex ephebis, non diu supersunt. 46. 6.

*Angina.*

Is qui febrem habet si, nullo dum tumore in faucibus existente, subito suffocetur, mortiferum. 34. 4.

Febrienti si collum subito jntorqueatur, nullo dum tumore in faucibus existente, moriendum. 35. 4.

In anginis saluti propius est tumorem in collo existere. 37. 6. 49. 7.

Si angina subito finita est, in pulmonem id malum transit, idq; sæpe intra septimum diem occidit: Quod nisi incidat, sequitur vt aliqua parte suppuret 10. 5.

*Peripneumonia, Morbus pulmonis.*

In dolore lateris & pulmonis malæ ſpei eſt aluus reſoluta. 16. 6.

Non ſine periculo ſubeſquitur dolorem lateris pulmonis morbus. 11. 7.

Poſt inflammationem.&c. in phrenit.

*Dolor lateris, ceu Pleuritis.*

Ipſi morbi &c. in criſib.

In dolore lateris. &c. ſupra.

In latere, pectore, cæteris que partibus corporis, noſſe expedit doloris ſpeciem,& quid dolor a dolore diſtet ſatagendum. 5. 6.

Raro doloribus lateris torquentur quibus ſunt ructus acidi. 33. 6.

Lateris dolorem certum eſt ſuppurandum fore, niſi intra quatuordecim dies ſurſum expurgetur. 8. 5.

Si in lateris dolore orta ſuppuratio intra quadraginta dies purgari potuit, ſalutis ſpes eſt: Si non potuit, tabes ſubit. 15. 5.

*Suppuratio, Græc. Empyema.*

Dum pus generatur labores,febreſq;

magis vrgent, quam vbi natum eſt. 47. 2.

Si in ventrem ſanguis confluxit, ibi in pus neceſſario vertitur. 20. 6.

Deſtillationes in ventrem ſuperiorem ſuppurant intra vigeſimum diem. 38. 9.

Si rupta vomica deriuetur in aluum, ſequitur exolutio, vomitus, & animæ defectio.. 8. 7.

Poſt ſanguinem pus ſputare malum. 15. 7.

Poteſt ſecunda valetudo contingere, quando ſuppuratus vel vritur, vel inciditur, ſi pus effluxerit purum, & album: Si vero cruentum, caenoſum & foetidum, non poteſt. 44. 7.

Certa mors ſuppuratos, & hydropicos manet, ſi, dum vruntur, vel ſecantur ſimul omne pus, vel aqua, efundatur. 27. 6.

Sæpe euenit vt pus, quia craſſum eſt, vel locus in quo ſuppurat denſus, in corpore deliteſcat. 41 6.

*Sputus ſanguinis.*

Qualem voles ſanguinem. &c. in ſtrigmentis.

Qui ſpumantem ſanguinem excreant, his in pulmone vitium eſt. 13. 5.

Vomitus ſanguinis in febre periculum oſtendit: At ſi febris abſit, metum detrahit: Nam refrigerantibus, & aſtringentibus curari poteſt. 37. 7.

*Tabes, ceu Phthyſis.*

In tabe ſi fluunt capilli capitis, poſt hæc orta ſit deiectio, protinus moriuntur. 12. 5.

Si eius qui tabe conflictatur ſputum, dum intorretur, male olet, & fluunt capitis pili, mortiferum. 11. 5.

Peſtifera diarrhœa eſt tabidis. 15.5

Si in lateris dolore. &c. in pleurit.

Lac cephalalgicis &c. in diæt.

In tabe pus expuiſſe, deinde ex toto ſpuere deſiiſſe, mortiferum eſt. 16. 7.

*Cor.*

Qui deficiunt ſæpe, & vehementer, ſine cauſa euidenti, ſubito intereunt. 41. 2.

*Iecur.*

Frequens singultus, & præter consuetudinem continuus, jecur inflammatum esse significat, & est perniciosum. 58. 5. 17. 7.

Cui vomica in jecinore aduritur, salus ei facilis est, si purum pus, & album effluat, id enim malum in tunica est. At si amurcæ similis fluit intereunt. 45. 7.

Quando jecur aquam colectam in omentum exonerat, venter impletur illa aqua, & mors subsequitur. 55. 7.

### *Lienis.*

Lienosis bona tormina sunt. 48. 6.

At subest hydrops, vel lienteria, si longa tormina sunt. 43. 6.

### *Morbus arquatus siue Icterus.*

In morbo arquato hepar durum fieri perniciosissimum. 42. 6.

In febre morbus regius ante septimum diem ortus in signum malum est. 62. 4.

Icterus in febribus si die septimo, vndecimo

vndecimo, decimo quarto acceſſerit, bonam ſpem, ſiquidem hypochondriū dextrum durum non eſt, At ſi eſt, non ita bonam oſtendit. 44. 4.

Flatibus raro diſtenduntur auriginoſi. 72. 5.

*Hydrops, ſiue aqua inter cutem.*

Vbi circa vmbilicium inteſtina torquentur&lumbi dolores manent,eaq; neque tempore, neq; remediis toluntur, hydropis ſicci inſtantis nota eſt. 11. 4.

Si tument præcordia, & murmurant & adiicitur e lumbis dolor,aluus rigua fit,niſi flatus, data inferius potа,erumpat, vel vrina copioſa reddatur. Hoc autem inter febres incidit. 73. 4.

In quauis corporis parte. &c. in vlcerib.

Albus hydrops ſanatur,ſi multum aluus deiicit. 29. 7.

Hyptops ſiccatur ſi e venis aqua in ventrem rraducitur. 14. 6.

Intra phrenas & ventrem concluſa pituita, quæ dolorem faxit,ſi nuſquam

patet exitus, per venas demum vertitur in vesicam, & morbus dissoluitur. 54. 7.

Quando iecur aquam &c. in iecore.
Si ora venarum. &c. in hemor.
Certa mors &c. in Suppurat.
In hydropicis tussis. &c. in tussi
At subest hydrops. &c. in Lien.
A mania. &c. in melanch.

*Stomachus, & Ventriculus.*

Quando turbatur aluus. &c. in purg.
Ventres hyeme & vere. &c. in diæt
Famem sedat meraca potio. 21. 2.
In longo morbo malum est cibum respuere, & deiectio syncera. 6. 7.

*Sitis.*

Qui purgationis ergo. &c. in purgat
Qui noctu sitire consueuerunt, iis prodest, etiam si valde sitiunt, ita conquiescere. 27. 5.

*Lienteria, ceu læuitas intestinorum, & diarrhœa, quam & deiectionem passim appellat Celsus.*

Aluum

Aluum liquidam. &c. in purgat.

In lienteria veteri signum bonum est ructus acidus. 1. 6.

Spumans aluus, & quæ cum multo spiritu redditur, pituitam de capite defluere denotat. 30. 7.

Longas dejectiones supprimit vomitus. 15. 6

*Tormina, Græ. Dysenteria.*

Tormina ab atra bile orsa mortifera sunt. 24. 4.

Velut carnes per tormina deijcere, mortiferum. 20. 4.

In veteri dysenteria malum si cibi cupiditas non est, peius etiam si febris adest. 3. 6.

Lienosis bona. &c. in lien.

A Mania &c. in melanch.

*Sequentem aphorismum sic ex multis Celsus concinnauit.*

Post alui longam resolutionem, synceramq; dejectionem tormina, post hæc intestinorum læuitas oritur. 33.7.

*Tenasmus.*

Grauida mulier [rapi poteſt] a tenaſmo, [atq; ſi ipſa conualuit,] partum tamen perdit. 27. 7.

*Colicus dolor, & inflatio.*

Vbi circa vmbilicum. &c. in hydrop. Si tument præcordia, &c. ibid.

Dolores ventris, & tumores qui foras eniment leuiores ſunt: incluſi vero in corpore grauiores. 7. 6.

Dolores præcordiorum, ſi ſine inflammatione ſunt, febris finit. 40. 6.

Diutinus dolor ventris aliqua parte tandem ſuppurat. 22. 7.

In dolore ventris extrema frigida eſſe malum eſt 26. 7.

*Ileos. Morbus inteſtini tenuioris.*

Morbus inteſtini tenuioris, niſi reſolutus eſt intra ſeptimum diem, occidit. Hunc vero ex difficultate vrinæ ortum febris, ſi vrinam per calorem mouet, leuat. 44. 6. Hunc aphoriſmum

re

repudiatű a Galeno, diſcerptum a Celſo, & diſſolutum coagmentauimus.

Ab ileo vomitus &c. in conuulſ.

*Renes & veſica.*

In vrinis multi ſunt ad hoc propoſitum aphoriſmi.

Si rectum inteſtinum inflammatum eſt, vel vterus, aut in renibus quid ſupparat, ſubeſt ſtillicidium, & ſi in iecore inflammatio eſt, ſingultus ſubſequitur, 58. 5.

Dolores renales, & veſicales, in ſenibus curatu difficiles ſunt. 6. 6.

Vrinæ difficultas ſanguine de venis nterioribus miſſo ſoluitur. 36. 6.

Difficultatem vrinæ, & ſtillicidium, ſoluit meraca potio, & ſanguis miſſus abs venis interioribus. 48. 7.

Vtile eſt melancholicis & nephritic & c. in melanch.

*Pudenda virorum.*

Quibus in fiſtula vrinæ vti minuti abſceſſus eſſe ceperunt, iis, vbi pus ea

parte

parte profluit, sanitas redditur 82 4.

*Muliebria*

Æquæ faeminis vires in dextra læuaq; parte nunquam sunt. 34. 7.
Mulier grauida venæsecio. &c. in purg.
Mulieri grauidæ &c. ibid
Mulier vomens sang. &c. in reuulf.
Quæ menstruis non purgatur &c. ibid.
Quæ locis laborat. &c. in sternutam,
Menstrua decolora. &c. in purg.
Si fluxum muliebr. sist. &c. in reuulf.
A profluuio muliebri. &c. in conuulf.
Profusis menstruis morbi fiunt, sed & iisdem retentis vni vtero. 57. 5.
Quæ neq; peperit neq; grauida est, si lac habet, menstruis deffecta est. 39. 5.
Menstrua mulieri proliciuntur si naturam eius suffias aromatis, quorum etiam alias plurimus est vsus: Verum capitis grauitatem adferunt. 28. 5.
Prægnanti si lac e mammis profluit, imbecillum est quod intus gerit: Duræ

mam

mammæ ſanum illud eſſe teſtantur. 52. 5.

Non poteſt ſanus eſſe partus, ſi ſolito more fluunt menſes. 60. 4.

Suffuſæ ſanguine mulieris mammæ furorem venturum eſſe teſtantur. 40. 5

Conceptum eſſe arguit mulſa, poſt liberaliorem caenam, bibita a muliere ſomnum initura: Nam circa ventrem ipſa torquebitur prægnans, inanis non torquebitur. 41. 5.

Periclitari faecunditatem mulieris licet. Stragulis circumrectam ſubtus ſuffito. Nam ſi per corpus odor in nares, & os progrediatur, non eſt ſterilis. 59. 5

Præter modum pingues non poſſunt concipere, quoniam omento uuluæ illis obſtruuntur. Ergo, vt concipiant oporter ipſas emacrari. 46. 5.

Non grauidantur mulieres denſis, aut frigidis matricibus, vt nec humidis etiam, quia in his genitura extinguitur In impenſius autem ſiccis eadem extabeſcit inopia alimenti. At vtroq; temperatæ matres fieri poſſunt. 62. 5.

Defectio purgationum muliebrium, ſine horrore, aut febre, & cibifaſtidium præ

prægnationis auguria ſunt. 61. 5.

Pragnantibus vterorum ora clauſa ſunt. 51. 5.

Mulier grauida rapi poteſt, aliquo morborum acutorum incidente. 31. 5.

Extremum prægnanti periculum adfert Eryſipelas in vtero natum. 43. 5.

Mulieri grauidæ ſine modo fuſa aluus elidere partum poteſt. 34. 5.

Neceſſario mammæ gracileſcunt, flaceſcuntq́; ſi partus ſuos rejecturæ ſint prægnantes. Contra ſi dureſcunt, vel in ipſis dolor futurus eſt, vel in coxis, vel genibus, vel oculis, nec propterea foetus neceſſario corrumpetur. 53. 5.

Mulieri grauidæ, ſi mammæ ſubito emacruerunt, abortus periculum eſt. 37. 5.

Quæ gemellos geſtat alterum perdit, ſi altera mamilla emacruit. Et maſculus ſane perit, ſi dextra minuitur, ſin ſiniſtra, fœmella eliditur. 38. 5.

Graciliores æquo perdunt ſuos partus, niſi habitiores fiant. 44. 5.

Obeſulæ veto, & quadratæ, ſi vltro, & ſine occaſione abortent, poſt ſecundum, aut tertium menſem a prægnatio

ne,

ne, id illis eo fit quod in vteris acetabula plena mucoris habeant, quæ partum, præ pondere, nequeant retinère, sed is facile dissoluitur. 45. 5.

Masculos dextra vterorum pars fouet, Læua fœmelas magis. 48. 5.

Marem intus esse color bonus, malus foemellam testatur. 42. 5.

Si mulier grauida febre corripitur, aut multum sine causa euidenti deliquescit, pariet cum difficultate, aut abortiendo periclitabitur. 55. 5.

Durum os vteri necessario coarctatum est. 54. 5.

Quando, ad secundas extrudendas pharmacum sternuendi adhibes, os,& nares manibus obstringere expedit. 49. 5.

*Artuum dolores. seu vitia articulorum.*

Si circa ventrem. &c. in purgat.

Si lassitudinis etiam sensus in febre est, vel in maxillis, vel in articulis aliquid abscedit. 31. 4.

Solutis morbo ibi fit abscessus, vbi

prius malum fuit. 32. 4.

Si quid indoluerit ante morbum, ibi morbi ſedes. 33. 4.

Quibus autem longæ febres ſunt, his aut abſceſſus aliquis, aut articulorum dolores erunt. 44. 4.

Poſt febres in articulis tubercula, vel labores, accidunt iis qui pluribus quam deceat cibariis abutuntur. 45. 4

Articulorum vitia raro caſtratos ten tant. 28. 6.

Puer a podagra tutus ante fœminæ coitum. 30. 6.

Mulier podagræ, niſi menſtrua ſuppreſſa ſint, obnoxia non eſt. 29. 6.

Podagræ dolor, & inflammatio ſe remittunt intra dies quadraginta. 49. 6.

Podagra plurimum vere citatur, & autumno. 55. 6.

Mucus colligitur longa vexatis iſchiade, ſi iſchion elapſum rurſus fuerit receptum. 59. 6.

Iſchion ſi exciderit in longua iſchiade, contabeſcit femur, niſi inuratur. 60. 6.

Si bini dolores non eandem particu lam afflictarint, vehementior alterum

ob

ſcurat. 46. 2.

### *Hæmorrhoides.*

Melancholicis. &c. in melanch.

Subito ſupprimenda non ſunt ora venarum ſanguinem ſolita fundere, cæteroqui vel aqua inter cutem, aut tabes ſequitur. 12. 6.

### *Vlcus, & vulnus.*

Magnum & prauum vulnus abſq; tumoribus eſſe peſſimum eſt. 66. 5.

Seruari non poteſt cui veſica, cui cerebrum, cui cor, cui ſeptum tranſuerſum, cui tenue inteſtinum percuſſum, cuive ventriculus, aut cor. 18. 6.

Sed nec augetur, nec coaleſcit ſemel diſſectum os, aut cartilago, aut neruus, aut quod in bucca tenue eſt, aut præputium. 19. 9.

Sub vlcere annuo, ceu veteri, neceſſario abſcedunt oſſa, ideo etiam cicatrices cauæ inducuntur. 45. 6.

Si diſſectum cerebum eſt neceſſario ſequitur febris, & vomitus bilioſus. 50. 6.

Omentum, si nudatum est, putrescit. 58. 6.

Vbi vehementer venæ super vlcera mouentur, sanguinis profluuium erit, idq; periculosum. 21. 7.

Protinus obmutescet cui cerebrum, quauis occasione, vehementer fuerit concussum. 58. 7.

Vlcus morosum cuius oræ sunt glabræ. 4. 6.

In quauis corporis parte hydropicorum vlcera non solidescunt. 8. 6.

*Tumores præt. nat. Phlegmone, seu inflammatio. Exanthemata.*

Super vlcera si apparent œdemata, raro distensio neruorum, vel insania: Sed si subito esse desierunt, idq, a tergo incidit, distensio quidem neruorum, vel rigor timeri potest. At si a priori parte id euenit, vel lateris acutus dolor, vel insania expectanda est. Quod si rubri extiterint illi tumores, etiam suppuratio, & tormina. 65. 5.

Molles, maturiq; tumores crudis, ac duris laudabiliores. 67. 5.

Latæ

Latæ pustulæ sæpius sunt absq; pruritu. 9. 6.

*Erysipelas ignis sacer.*

Nudatum os ery sipelate cingi pessimum est. 19. 7.

Extremum perieulum est. &c. in muliebrib.

Propter erysi pelas putredo, & suppuratio malum. 20. 7.

Erysipelas suspectum est, si foris intro se proripit. Quod autem prostat non suspectum. 25. 6.

*Syderatio, & Gangræna.*

Si cuicerebrum incipit syderari huic intra triduum moriendum est, hoc vero tempus si euaserit saluus est. 5. 7.

Propter os ægrotans caro liuida malum. 2. 7.

Propter syderationem abscessus ossis. 77. 7.

*Cancer, Carcinoma.*

Occultos & sine vlcere cancros sanare, sine vitæ dispendio, non licet. Neglecti enim longius trahunt. 38. 6.

*Abscessus.*

Si lassitudinis etiam sensus. &c. in art. dolor.

Quibus autem longæ febres &c. ibid.

Quod si quibus renum dolores. &c. in vrin.

Solutis morbo. in art. dolor.

Diutini dolores. &c. in colic.

Si vterus ischion versus extumescens suppurauerit, necesse erit penicilla, vel linamenta in collyriorum modum parari.

5. 57.

FINIS DOMINO DEO GRATIA, ET GLORIA.



# HIPPOCRATIS COI LEX, CEV MEDICINALIA INITIA.

MEdicina cunctarum artium præclarissima, hodie propter ignorãtiam eorum qui eam exercent, & vulgi temeritatem, qui laruas istas suffragiis adiuuant, & pro medicis habent, prope negligitur, longeq; cæteris postponitur. Huius autem erroris, ni fallor, causa hæc est Solis medicis in ciuitatibus præter ignominiam pœna nulla indicta est. Verũ ea tales non vlcerat qui velut ex composito in medicinam irruunt eiusq; titulis efferuntur: quiq; personis similes sunt illis quæ in tragicorum scenas producuntur. Nam vt histriones imaginem veri cuiusdam, & germani, eiusdemq; ornamenta assumunt, seq; eosdem videri volunt, nec sunt tamen, sic isti medicastri nomine quidem medici multi, re autem vera pepauci sunt. Nam ei qui exactam medicinæ cognitionem sibi suo iure vendicare volet, hæc prorsus habenda sunt Natura, Doctrina. Loci commoditas, Educatio a pueris, Diligentia, Tempus.

Natura primas in iis obtinet. Natura enim repugnante frustra fiunt omnia. Sed eadem comiter ducente, & viam recti monstrante, facile scientia comparatur, si quis sedulus indagator accidat,& prudens, qui jam inde a pueris bene doctus & educatus in loco idoneo diligentiam & tempus posuerit, quo veluti insita scientia fructus suos vberes, & maturos producat. Habet enim medicina quipiam terræ natis ad contemplandũ haud dissimile. Nam est natura nostra quodam modo agro similis, docentium pracepta seminibus. Educatio mihi refert sementem suo tempore in aruum projectam: Locus aera circumjectum, a quo nutrimentum in plantas perfluit. Diligentia vero agricolatio est. Tempus omnia illa confirmat, & perficit. Ita vero comparatum, iisq; rebus ornatum jam eum qui totam artem calleat, regiones, vrbesq; lustrare conuenit, si non sermone tenus, sed & opere medicus jure merito censeri velit. At enim malus thesaurus est imperitia, malumq; cimeliarchio depositum: imago somnii potius tranquilitatis ex-

pers

pers & hilaritatis, Ignauiæ autem nutrix & temeritatis Ignauia impotentiam arguit. Ignorantiam temeritas. Aliud est enim scientia, aliud opinio: nam hoc vt ignoremus, illud vt sciamus efficit. Cæterum sacrosancta hæc sanctis tantum hominibus patefacienda, & reuelanda sunt, non prophanis, ante quam in scientiæ orgia recepti sint.

FINIS.

# HIPPOCRATIS SACRAMENTVM.

PEr Apollinem medicum, Per Æsculapium, perq; Sanitatem, & Salubritatem ambas eius filias, iuro: Contestor etiam Deos, Deasq; omnes, me, pro virili, & ex animo, iusiurandum hac formula conceptum obseruaturum.

Si præceptorem meum minoris quam genitorem ipsum meum fecero. Si vitæ meæ commodis ipsum non communicauero. Si non inpertiero quæcumq; erunt opus. Si natos ab eo germanorum fratrum loco non habuero, Artem ue, si ipsis libuerit, sine mercede, aut syngrapha, non edocuero. Si cunctis a me ceu lectis, ceu auditis, & si quid iu tota arte eximium sit, non participauero: filios item meos, & condiscipulos conscriptos, & coniuratos, legibus q; medicinæ obstrictos, præter hos vero neminem. Si qui se in fidem meam cõmiserint, eis vtiles viuendi leges bona fide non rogauero, ni malum, & iniuriam procul ab ipsis propulsaro, nedum noxam intulero.

Si, quamuis rogatus, mortiferum venenum aut dedero, aut indicauero. Si prægnanti foeminæ collyrium abortiendi causa cõfecero. Nisi vero caste, sanctéq; vitam, & artem meam seruanero. Si calculo laborantem excidero, nisi porro huius rei peritis artificibus negotium commisero. Si quamcumq; domum ingressus fuero, ab ea vitium, & iniuriam omnem, obnixe curandis ægris intentus, non propulsaro. Si quid in personas liberas, aut seruas mihi creditas, turpe, venereũ ve conatus fuero. Si quæ inter curationes tacenda se mihi obtulerint euulgauero. Si minus sancte silentium egero. Nisi deniq; insiurandum hoc sanctum seruauero. nihil mihi fælix, faustum ve, nec in vita, nec in artis operibus, contingat. Contra seruantem recte, & sancte, gloria, laus, summaq; felicitas, perpetuum sequatur

*Elapsus forte fuerat sequens aphorism. e. Sternutam. fol. 20. 6.*

Sternuramentum fit e capite quidem quando & quod in ipso vacuum est: humescit& cerebrum incalescit, foras enim aer erumpit. Strepit autem quia ni si per angustias viam nullam habet. 11. 7.

## SEDES APHORISMORUM.

FINIS. DOMINO DEO GRATIA, ET GLORIA.

